BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
68
13 G
20

SANCTISSIMI D. N.

SIXTI PAPÆ V,

Erectio Hoſpitalis Pauperum Mendicantium in Vrbe:

CVM

Annuorum reddituum aſsignatione, Priuilegiorumque, & gratiarum conceſſione.



ROMÆ,
Apud Hæredes Antonij Bladi Impreſsores Camerales. M. D. LXXXVII.

SANCTISSIMI D. N.

SIXTI PAPÆ V.

Erectio Hoſpitalis Pauperum Mendicantium in Vrbe.

CVM

Annuorum redditũum aſsignatione, Priuilegiorumque, & gratiarum conceſsione.



R O M Æ,
Apud Hæredes Antonij Bladij Impreſſores Camerales. M.D.LXXXVI.

SIXTVS EPISCOPVS

SERVVS SERVORVM DEI,

Ad perpetuam rei memoriam.

QVAMVIS infirma, & varia mortalium conditio ita diuinæ prouidentiæ inſcrutabili diſpenſatione ordinata, & quaſi in quoſdam gradus diſtincta ſit, vt ſecundum propriam vocationem aliqui in hoc mundo temporalibus copijs abundent, aliqui mediocrem aut tenuem vitam degant; quidam autem pauperes, & miſerabiles ſint, qui aliena diuitum ope ad ſui ſuſtentationem indigeat: quod, & ita ſemper forè Moyſes populum Iſrael præmonuit, dicens: Non deerunt pauperes in terra habitationis tuæ: idcircò ego præcipio tibi, vt aperias manum fratri tuo egeno, & pauperi, qui tecum verſatur in terra, & Dominus diſcipulis ſuis cōfirmauit illis verbis: Semper pauperes habetis vobiſcum: ipſe tamen rerum diuinarum atque humanarum rector, ac moderator Deus, qui vitæ ſubſidia, & opes ſic inæqualiter hominibus diſtribuens ac diuidens, non ideò iniuſtus aut iniquus (quod abſit) dici poteſt; nec ſine cauſa efficit vt alij affluant & abundent; alijs verò hæc ipſa deſint & illis egeant, ſed vt hac via diuites quidem ſuæ benignitatis, ac fidelis adminiſtrationis præmia accipiant, pauperes verò per virtutem patientiæ coronati, digna mercede honorentur, voluit pro ſua immenſa in vniuerſum genus humanum charitate, ac beneficentia, potiſſimùm erga pauperes, & egenos eam ſpecialem, ac perpetuam curam diligenter adhiberi, vt neque indigerent, neque mendicare cogerentur, quemadmodum, & prędicto populo Iſrael per eumdem Moyſen expreſsè mandauit: Omninò indigens, & mendicus non erit inter vos, vt benedicat tibi Dominus Deus tuus in terra, quam traditurus eſt tibi in poſſeſſionem: Et inter Chriſti fideles in ipſo naſcentis Eccleſiæ initio ſub Sanctis Apoſtolis plenè ſeruatum eſſe eorundem Apoſtolorum acta teſtantur: Neque enim, inquiunt, quiſquam egens erat inter illos. Quare idem Dominus noſter Ieſus Chriſtus, volens mundo vniuerſo, ac præcipuè fidelibus ſuis apertè demonſtrare, quanti faceret humilitatis eximiam virtutem, & quàm ſibi chara, & dilecta eſſet paupertas, ac pariter docere, ne à diuitibus, & opulentis hominibus pauperes deſpicerentur, eorumque cura negligeretur: primùm quidem ipſemet, quando iuxtà præclara vaticinia Prophetarum è Cœlo in terras, humana carne aſſumpta, deſcendit, non regium diadema, aut ſublimè aliquod decus, quod mundo oſtentaret, & hominum oculis obiiceret, ſecum detulit, ſed ſemetipſum exinaniuit formam ſerui accipiens, ac pauper in ſtabulo naſci, locum in diuerſorio non habere, pauperis præſepis anguſtijs contineri, pauperem demum vitam, quam pro nobis ſu-

ſcepit, eligere, ac vſque in finem retinere dignatus eſt, vt non immeritò dixerit: Vulpes foueas habent,& volucres cœli nidos; filius autem hominis non habet vbi caput reclinet. Et per os Dauid Prophetæ: Ego autem mendicus ſum, & pauper. Et Apoſtolus ſcripſerit: Scitis enim gratiam Domini noſtri Ieſu Chriſti, quoniam propter vos egenus factus eſt, cùm eſſet diues, vt illius inopia vos diuites eſſetis. Deindè etiam pauperum, & miſerabilium perſonarum, dum in mundo conuerſatus eſt, ſingularem quandam ſolicitudinem geſſit, eoſque diuinis gratijs, & beneficijs multipliciter adiuuit, quod paſſim Euangelica teſtatur hiſtoria, dum pauperes ſibi diſcipulos delegit; dumque cœcis viſum, ſurdis auditum, mutis loquelam, claudis greſſum, aridis, & paralyticis corporis, & membrorum integritatẽ reddidit, leproſos mundauit, dœmoniacos liberauit, alioſque varijs languoribus, & infirmitatibus laborantes, & oppreſſos curauit; pauperum quoque ſequentium turbas cœleſti Verbo ſæpius pauit, & inſtruxit, & eas quandoque eſurientes etiam corporalibus mirabiliter ſatiauit alimentis. Et confirmat Apoſtolus Iacobus, dicens: Non ne Deus elegit pauperes in hoc mundo diuites in fide, & hæredes regni, quod repromiſit Deus diligentibus ſe? Ac prætereà miſericordiam, & eleemoſynas, quæ pauperibus fiunt tanquam ſibi factas recipit, & acceptas refert: Vndè,& à Sanctis,& pijs viris prò pauperibus peregrinis,& mendicis non Angelos modò, ſed Angelorum Dominum ſæpius hoſpitio ſuſceptos fuiſſe legimus, quod & Apoſt. ad Hæbr. memorat, dicens: Hoſpitalitatem nolite obliuiſci, per hanc enim placuerunt quidam Angelis hoſpitio receptis. Ac denique fideles cunctos, ad ſubleuandas pauperũ neceſſitates, monitis, & præceptis, & maximis etiam propoſitis præmijs, in ſcripturis Sanctis vehementer inflammat; ait enim per Iſaiam: Frange eſurienti panem tuum,& egenos vagoſque induc in domum tuam: cùm videris nudum, operi eum. Et quæ ſequuntur: Ac rurſus paulò infrà: Cùm effuderis eſurienti animam tuam, & animam afflictam repleueris, orietur in tenebris lux tua, & tenebræ tuæ erunt ſicut meridies,& requiem tibi dabit Dominus Deus tuus ſemper, & implebit ſplendoribus animam tuam, & oſſa tua liberabit, & eris quaſi hortus irriguus, & ſicut fons aquarum, cuius non deficient aquæ. Atque in Euangelio per ſeipſam veritas, dicit: Cùm facis conuiuium, voca pauperes, debiles, claudos, & cœcos, & beatus eris, quia non habent retribuere tibi: retribuetur enim tibi in reſurrectione iuſtorum. Et ijs demum teſtatur ſe in nouiſſimo die æternæ beatitudinis præmia parauiſſe, qui miſericordiæ opera in pauperes, & egenos exercuerunt, ipſis namque dicturus eſt: Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi: Eſuriui enim, & dediſtis mihi manducare; ſitiui,& dediſtis mihi bibere: hoſpes eram,& collegiſtis me: nudus, & operuiſtis me: infirmus,& viſitaſtis me: in carcere eram,& veniſtis ad me, & rurſus; Amen dico vobis quamdiù feciſtis vni de his fratribus meis minimis, mihi feciſtis; Quæ quidem nos attentius conſiderantes, ac recolentes in quadam aliquando Synodo piè conſtitutum fuiſſe, vt vnaquaque Ciuitas pauperes,& egenos incolas ſuos alimentis congruentibus paſceret ſecundum vires; vt tam vicini presbyteri, quàm

ciues

ciues omnes ſuum pauperem paſcerent, quò fieret, ne pauperes ipſi per alienas Ciuitates vagarentur, atque olim huiuſmodi Hoſpitalia in quibus pauperes, & mendici alerentur in multis Ciuitatibus extitiſſe,& in aliquibus etiam in Italia adhuc vigere; ſimulque egenorum calamitates, quorum ingens quotidie numerus nobis ante oculos verſatur, paterna charitate miſerati, tum Chriſtianæ pietati, tum etiam noſtro paſtorali officio conſentaneum eſſe duximus, in hac Alma Vrbe pietatis, & charitatis altrice, ad quam ex omnibus totiùs Orbis terrarum Regionibus, quaſi communem patriam, & tutiſſimum refugium, in ſinum, & gremium Sanctæ Romanæ Eccleſiæ plurimi pauperes, fame, frigore, nuditate, terumque omnium inopia confecti, ac varijs morbis, & incommodis conflictati ſe recipiunt; Domum hoſpitalem inſtituere, in quam omnes benignè excipiantur, alantur, veſtiantur, paratos habeant lectos, cibos, potum, aliaque ad imbecilla corpora conſouenda,& recreanda opportuna, hac demum ratione prouideatur, ne vlterius mendici per vias, & plateas tota Vrbe diſperſi, ac vagantes, victum quæritando defatigentur, ne non modò publica loca, aut priuatarum ædium veſtibula, ſed ipſa quoque templa gemitibus, & eiulatibus compleant; ne ſuis clamoribus obſtrepant fidelibus dum diuinis officijs, aut Miſſæ ſacrificio intenti ſunt, ne in Eccleſijs, in quibus debet eſſe quieta conuerſatio, querimonijs, lamentis, ac vociferationibus tumultus excitent,ne ipſa diuina officia,& circumadſtantinm deuotionem importunis, ac moleſtis vocibus perturbent, ne, quod præcipuè nobis cordi eſt, dum incertis ſedibus Vrbem peragrant, proprium Parochum non agnoſcentes, abſque alicuius diuini præcepti, aut bonorum morum notitia, tanquam bruta animalia rationis expertia, cibo tantùm quærendo, & ventri paſcendo intenti aberrent, itaut nemò illis Sacramenta Eccleſiaſtica miniſtrandi, nemo eorum ſalutis ſpiritualis curam ſpecialem gerat. Poſtremò, vt eadem opera, cunctis, quos in publicum quæſtum incerta mendacitas vocauerit, inſpectis, exploretur in ſingulis integritas corporum, & robur annorum; atque inertes quidam, & ſine vlla debilitate internoſcantur; eorumque ignauiæ,& nequitiæ via præcludatur, qui ſimulata infirmitate, ſeù prætextu fictæ, aut per ſocordiam, & otium affectatæ paupertatis, alimoniam verè infirmis, ac pauperibus præripiant,ac ſimulandi morbi infamem quandam,doloſam,& fraudulentã artem factitant, mox benè valentes robuſta, & valida totiùs corporis firmitate ludis, comeſſationibus, aut illicitis alijs rebus vacant, cum ſalutis ſuæ diſpendio, multorumque ſcandalo, & offenſione; Vt igitur eorundem mendicorum animæ, & corporis ſaluti conſulatur, hocque tàm ſalutare,& neceſſarium opus aliàs à nonnullis prędeceſſoribus noſtris inchoatum, ſemper tamen, ex eo, quòd certos redditus pro alimentis inopum non aſſignarunt, inefficaci conatu relictum, & dimiſſum; nunc demum noſtra auctoritate,noſtraq; ingenti,pia tamen impenſa,& proſperiores ſucceſſus, optatumque effectum ſortiatur, & perpetuò ſubſiſtat, ſcandaliſque, & incommodis prædictis occurratur, ac Sedis Apoſtolicæ, quæ omnes afflictos materno ſinu ſemper complectitur pietas, & benignitas in dies magis eluceſcat: habita ſuper hoc cum Venerabilibus fratribus

bus noſtris Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus deliberatione matura, de eorum conſilio, & aſſenſu, ad Dei omnipotentis gloriam, pauperum mendicorum commodum, & ſalutem, ac piorum operum incrementum, in eadem Alma Vrbe. in ædibus propè Pontem Sixtum ad Tyberis ripam ſitis, quas ad hoc noſtris pecunijs magno pretio emimus, & ad vſum eorundem pauperum, inſtauratione, & fabrica opportuna accommodari curauimus; vnum Hoſpitale pauperum mendicorum vtriuſque ſexus, in quo tamen ſeorſum viri à mulieribus manere, & commorari debeant, pro ipſorum perpetuis receptione, habitatione, & ſuſtentatione cum ſuis Oratorio, Sacriſtia, Cœmeterio, humili Campanili, & Campanis, ac diſtinctis, & ſeparatis, pro eiſdem vtriuſque ſexus perſonis, refectorijs, dormitorijs, hortis, areis, cellis, & officinis, congrua, ſupellectili, vtenſilibus, alijſque rebus neceſſarijs, non mediocri noſtro ſumpto comparatis, ſufficienter inſtructum, per quatuor viros clericos, aut laicos idoneos, & probatos, quorum duo à Populo Romano in publico conſilio, & duo reliqui à dilectis filijs Confratribus Archiconfraternitatis Sanctiſſimæ Trinitatis Conualeſcentium, & Peregrinorum, cuius Oratorium ibi proxima via intermedia conſtitutum exiſtit, ex ſuo corpore annis ſingulis eligantur, & deputentur, regendum, adminiſtrandum, & gubernandum, ex certa noſtra ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine tenore præſentium erigimus, & inſtituimus. Ac ipſi Hoſpitali pauperum mendicorum ſic erecto, & inſtituto dotis nomine, & ad ſuſtentandos pauperes redditum annuum nouem millium ſcutorum monetæ Romanæ iulijs decem pro quolibet ſcuto huiuſmodi computatis, ita conſtituimus, & aſſignamus, vt videlicet pro nunc in præſentis operis inchoatione ſuper exactione, ſeù gabella lignorum combuſtilium, ac redditibus ex ea annuatim prouenientibus, adhunc potiſſimum vſum à nobis nuper deſtinata, quinque millia ſcuta annuatim perpetuò percipiantur: reliqua verò quatuor millia ſcuta annua ex penſionibus per conductores alterius nouæ gabellæ ſuper attractione, ſeù conductione nauium, & nauicularum, quæ per Tyberim flumen cum bubalis, iumentis, vel alijs animalibus deducuntur annuatim perſoluendis, quoniam noſtris ſumptibus tam dicta vtenſilia. & ſupellectilia, vt præfertur, pro vſu ipſius Hoſpitalis, quàm etiam alia impræſentiarum neceſſaria pro victu, & veſtitu eorundem Mendicorum empta iam, & comparata, ac ſatis abundè prouiſa ſunt; tunc demum in eiuſdem Hoſpitalis vſus erogari, & conuerti volumus, & mandamus, vbi, & quando ad vrgentes illuc confluentium neceſſitates maiori impenſa opus eſſe compertum erit: ac emolumenta tàm ex primo dicta, quàm, ſi opus erit, ex ſecundo dicta gabellis prouentum mendicorum huiuſmodi neceſſitatibus perpetuò dicamus, applicamus, & appropriamus; inhibentes in virtute ſanctæ obedientiæ, ac ſub pœna excommunicationis per ſingulos contrauenientes eo ipſo incurrenda prædictis Theſaurario, & Commiſſario generalibus nunc, & pro tempore exiſtentibus, & alijs ad quos ſpectat, ne prædictos ex huiuſmodi gabellis ſic per nos aſſignatos, & applicatos annuos redditus in alios quamuis pios, & neceſſarios vſus erogare, aut cōuertere audeant, vel præſumant, & quod nobis licere nō patimur, idipſum

noſtris

noſtris ſucceſſoribus indicamus. Eandem aſſignationem, & applicationem iuramento à nobis præſtito de rebus Eccleſiæ non alienandis nequaquam aduerſari arbitrantes, tum quia prouenit ex gabellis de nouo inſtitutis, quas dicta Camera hactenus nnnquam habuit, & in quarum redituum percipiendorum, ſeù exigendorum poſſeſſione. vel quaſi nunquam fuit: tum quia quod pauperibus erogatur, Deo ipſi, qui nobis omnia tribuit, dari cenſendum eſt. Volumus autem Hoſpitale pauperum mendicorum prædictum, ac illius pro tempore exiſtentes Adminiſtratores, Officiales, Miuiſtros, & alios ſeruiẽtes, ratione ipſius Hoſpitalis dumtaxat, pauperesque in eo degentes, necnon eiuſdem Hoſpitalis pauperum mendicorum bona mobilia, & immobilia cuiuſcunque qualitatis, & quantitatis in dicta Vrbe, & extrà, ac aliàs vbique locorum cõſiſtentia, exempta eſſe ab omni iuriſdictione, correctione, viſitatione, dominio, ſuperioritate. & poteſtate pro tempore exiſtentium dictæ Vrbis Gubernatoris, Senatoris, Conſeruatorum, Reformatorumque, ac noſtri, & Romani Pontificis pro tempore exiſtentis, in dicta Vrbe in ſpiritualibus Vicarijs; necnon cauſarum Curiæ Cameræ Apoſtolicæ generalis Auditoris, & cuiuſuis Ordinarij locorum, aliorumuè quorumcunque Iudicum, & Officialium in ipſa Vrbe, vel altàs vbilibet conſtitutorum: Ipſumque Hoſpitale pauperum mendicorum, & quoſcunque in proprijs eorum rebus, & bonis cum eo cõtrahentes, à ſolutione, & exactione quorumcunque, vt vocant, pedagij. gabellæ, bollettini, decimarum, & cuiuſuis alterius tàm Ordinarij, quàm extraordinarij oneris ex quacunque cauſa impoſitorum, & imponendorum eximimus, & prorſus liberamus, ac ſub Beati Petri, & Sedis Apoſtolicæ, atque noſtra protectione ſuſcipimus, & collocamus, nobiſq; & dictæ Sedi immediatè ſubijcimus, ac liberos, immunes, & exemptos declaramus. Necnon Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Camerario, Vicecamerario, Præſidentibuſque, & Clericis Cameræ Apoſtolicæ, Senatori, Conſeruatoribùs, Reformatoribus, alijſque Officialibus, Iudicibus, & perſonis prædictis, & quibuſuis ad exactionem decimarum, & aliorum onerum prædictarum pro tempore deputatis, ne quarumcunque literarum eis ſub quibuſcunque tenoribus, & formis conceſſarum prætextu, Hoſpitale pauperum mendicorum, Adminiſtratores, Officiales, Miniſtros, & Seruientes prædictos, perſonaſque in eo degentes ſuper præmiſſis quouis modo moleſtent, ſeù moleſtari permittant, diſtrictiùs inhibemus. Prætereà pauperibus mendicis in eodem Hoſpitali pro tempore degentibus, quorũ infirmitas, vel nimis imbecilla valetudo, aut corporis habitudo, ieiunium, ſeù carniũ, & lacticiniorum abſtinentiam ferre nõ poterit, vt de vtriuſque medici conſilio quibuſuis quadrageſimalibus, & quatuor anni temporibus, ac vigilijs, & alijs diebus in quibus ieiunium ab Eccleſia indictum, aut carnium, ouorum, & lacticiniorum eſus de iure, vel conſuetudine, ſeù aliàs prohibitus exiſtit, vel fuerit carnibus, ouis, butyro, lacticinijs, & alijs cibis prohibitis, huiuſmodi vti, & veſci, ſinguli quoque presbyteri ſeculares, & cuiuſuis ordinis regulares, qui ad hoc à Gubernatoribus, & Adminiſtratoribus, ſeù Deputatis pro tempore exiſtentibus Hoſpitalis mendicorum huiuſmodi electi. & à prædicto in Vrbe Vicario approbati

fue-

fuerint, ſingulos pauperes, Miniſtros, & Seruientes eiuſdem Hoſpitalis mendicorum, à quibuſuis excommunicationis etiam maioris ſuſpenſionis,& interdicti, alijſque Eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris,& pœnis à iure, vel ab homine quauis occaſione, vel cauſa latis, quibus innodati fuerint, necnon quibuſcunque eorum peccatis, criminibus, exceſſibus, & delictis quantumcumque grauibus, & enormibus, etiam talibus, de quibus dicta Sedes meritò conſulenda foret; videlicet in caſibus tàm Ordinarijs locorum, quàm etiam Sedi Apoſtolicæ quomodolibet reſeruatis, non tamen in iudicium deductis, neque contentis in litteris die Cœnæ Domini legi ſolitis, ſemel in ingreſſu Hoſpitalis, & iterum ab omnibus ſupradictis, nullo prorſus excepto, in mortis articulo, confeſſione eorum diligenter audita, in foro tantum conſcientiæ abſoluere, iniuncta indè eis pro modo culpæ ſuo arbitrio pœnitentia ſalutari; Quodque pauperibus, Miniſtris, & ſeruientibus Hoſpitalis mendicorum huiuſmodi Sacramenta Eccleſiaſtica adminiſtrare,& defunctorũ corpora in proprio Cœmeterio ſepelire liberè, & licitè valeant, eiſdem auctoritate, & tenore ſimiliter perpetuò concedimus,& indulgemus. Cęterũ volumus,vt in Hoſpitali prædicto ſic per nos erecto pauperes, & mendici aduenæ per Vrbem tranſeuntes, ſi eò diuertere voluerint benignè recipiantur, ac eis tres refectiones ſubminiſtrentur, & indè cum Dei benedictione ad iter ſuum proſequendum dimittantur. Præcipimus verò quatuor Adminiſtratoribus, ſeù Deputatis prædictis, vt ipſi ſingulis menſibus ab Oeconomis, Procuratoribus, Officialibus, Miniſtris,& quibuſuis perſonis dicti Hoſpitalis pauperum mendicorum, rationes accepti, & expenſi eiuſdem Hoſpitalis diligenter exigant,& inſpiciant, eoſque ad huiuſmodi rationes reddendas cogant omninò, & compellant, prout eorum vnumquemque ad id teneri volumus, & decernimus. Ac inſuper, vt ipſius Hoſpitalis pauperum mendicorum conſeruationi, bonoque regimini, eorundemque pauperum indigentijs opportunius conſulatur, dilectos filios noſtros, & Cameræ Apoſtolicæ Theſaurarium,& Commiſſarium generales, nunc,& pro tempore exiſtentes eiuſdem Hoſpitalis pauperum mendicorum Gubernatores,& Superintendentes conſtituimus, & deputamus, quorum conſilio, & ope quatuor Adminiſtratores, ſeù Deputati prædicti curam, & gubernium eorundem mendicorum, ac dicti Hoſpitalis, illiuſque reddituum, prouentuum, iurium,actionum,& bonorum mobilium,& immobilium, oblationumque, & eleemoſynarum adminiſtrationem gerant. Denique cætera omnia ad pietatem,& charitatem exercendam pertinentia peragant,ordinent, ac decernant. Mandantes eiſdem Theſaurario, & Commmiſſario modernis, & pro tempore exiſtentibus, vt vnà cum ipſis quatuor Adminiſtratoribus; ſeu Deputatis, tam iterum prædictas, quàm alias quaſcunque rationes, & computa dicti Hoſpitalis, illiuſque debitorum ſaltem tertio quoque menſe, & præterea quoties opus fuerit, exigant, accuratè videant, examinent, & ſolident. Dantes etiam illis, & concedentes plenam & liberam facultatem, & auctoritatem prædictos Occonomos, Procuratores, Officiales, miniſtros, ſeruientes, debitores, & alios quocunque, quorum intererit, ad reddendas huiuſmodi rationes opportunis iuris, & facti reme-

remedijs cogendi,& compellendi,& eos qui ſatisfecerint quietandi; abſoluendi, & liberandi: ac ſimiliter cum interuentu eorumdem quatuor Adminiſtratorum, ſeù Deputatorum pro ſalubri directione, & conſeruatione dicti Hoſpitalis pauperum mendicorum, illiuſque bonorum, & iurium temporalium,& ſpiritualium quoſcumque Officiales,Procuratores, Miniſtros, & ſeruientes in eo deputandi & amouendi, alioſque eorum loco ſufficiendi: Ordinationes & ſtatuta, licita tamen & honeſta, ſacriſq; Canonibus, & generalis Concilij Tridentini Decretis non contraria faciendi & edendi, eaque cum viſum fuerit reuocandi, immutandi, corrigendi, aliaque de nouo condendi. Quæ quidem ſtatuta ſic facta, edita, reuocata, immutata,& correcta, poſtquam per Nos, aut Romanum Pontificem pro tempore exiſtentem approbata fuerint, ab omnibus ſupradictis Gubernatoribus, Adminiſtratoribus, ſeù Deputatis,Oeconomis,Procuratoribus, Officialibus, Miniſtris, Seruientibus, & alijs quibuſcumque inibi pro tempore receptis inuiolabiliter obſeruari volumus; ac iuxta eorumdem diſpoſitionem à quibuſuis Iudicibus, ſublata eis quauis aliter iudicandi facultate,iudicari,& definiri debere: & ſi ſecùs ſuper his à quoquam quauis auctoritate ſcienter, vel ignoranter attentari contigerit, irritum & inane decernimus. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac dictæ Vrbis iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, priuilegijs quoque, indultis, & litteris Apoſtolicis eiſdem Vrbis Gubernatori, Senatori, Conſeruatoribus, Reformatoribus, Vicario, Auditori cauſarum Curiæ dictæ Cameræ, alijſque ſuperiùs nominatis, necnon prædictæ Vrbi,& Populo Romano ſub quibuſcumque tenoribus & formis,ac cum quibuſuis clauſulis, & decretis, etiam iteratis vicibus conceſſis, approbatis, & innouatis: quibus omnibus illorum tenores præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrarijs quibuſcumque. Vt autem hoc pium, & ſalutare opus feliciora in dies Deo fauente ſuſcipiat incrementa, eoſdem Gubernatores, & Adminiſtratores, ſeù Deputatos, Oeconomos, Procuratores, Officiales, & Miniſtros dicti Hoſpitalis, enixè hortamur, & monemus, vt curam ipſius Hoſpitalis, pauperumq; mendicorum, qui in eo recipientur, ita alacriter, & promptè ſuſcipiant, pauperes ipſos mendicos ſincera in Domino charitate tractent,bona temporalia eiuſdem Hoſpitalis fideliter, & prudenter diſpenſent, & adminiſtrent, ac demùm pijs huiuſmodi operibus ad Dei gloriam, pauperumq; vtilitatem & ſalutem ſe feruenter exerceant, vt exinde præter cęleſtis regni pręmia, etiam noſtram, & Sedis Apoſtolicæ benedictionem, & gratiam conſequi mereantur. Et quia difficilè foret præſentes litteras ad ſingula loca vbi eis opus fuerit, deferre; Volumus vt earum tranſumptis etiam impreſſis, manu publici Notarij ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides in iudicio, & extra illud vbique adhibeatur, quæ adhiberetur ipſis originalibus ſi eſsent exhibitæ vel oſtenſæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrorum erectionis, inſtitutionis, conſtitutionum,

B assigna-

aſſignationis, voluntatum, exemptionis, liberationis, ſuſceptionis, collocationis, ſubiectionis, declarationis. dicationis, applicationis, appropriationis, inhibitionis, cõceſſionis, indulti, pręcepti, decretorum, deputationis, mandati, dationis, derogationis, hortationis, & monitionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem &c. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo octuageſimo ſeptimo, quinto Idus Maij, Pontificatus Noſtri anno tertio.

✠ Ego SIXTVS Epiſcopus Catholicæ Eccleſiæ ſ ſ.



† Ego A. Card. Farn. Epiſcopus Oſtieñ Vicecanc.
† Ego Iac. Card. Sabellus Epiſcopus Portueñ.
† Ego Io. Ant. Epiſcopus Tuſculan. Card. S. Georgij.
† Ego A. Card. Geſualdus Epiſcopus Albanenſis.
† Ego In. Aualus Card. de Aragon. Epiſc. Sabinen.
† Ego M. Ant. Card. Columna Epiſcopus Præneſtin.

†
† Ego M. S. Card. ab Altemps tit. S. Mariæ Tranſtyberim.
† Ego P. Card. Sancta Crucius tt. S. Clementis.
† Ego Gabr. tt. S. Laurentij in Lucina ps Card.
† Fr. Michael Bonellus Card. Alexand. tt. S. Mariæ ſupra Mineruam.
† Ego Ludouicus Madruccius tt. S. Anaſtaſiæ.
† Nic. Card. Senonen. tt. S. Praxedis.
† Iul. Ant. tt. S. Bartholomæi in Inſula Presb. Card. S. Seuerinæ.
† Ego Hier. Card. Ruſticuccius tt. S. Suſannæ.
† Io. Hier. Card. Albanus tt. S. Ioan. ante Portam Latinam.
†
†
† Ego P. Card. Deza, tt. S. Hieron. Illyricorum.
†
†

† Ego

† Ego Ant. tt. SS. Io. & Pauli, Presb. Card.
† Ego Io. Ant. Card. tt. SS. Quatuor.
† Ego Io. Baptiſta Card. tt. S. Marcelli.
†
†
†
†
† Ego Iulius Card. Cananus tt. S. Euſebij.
†
† Ego Ant. Maria Card. Saluiatus, tt. S. Mariæ de Pace.
† Ego Aug. Card. tt. S. Marci.
† Ego Vincent. S. Mariæ in Via, Card. Montis Regalis.
† Ego Phil. Card. Spinola, tt. S. Sabinæ.
†
†
† Scipio Card. Lancell. tt. S. Saluatoris in Lauro.
† Vinc. Card. Gonzaga tt. SS. Alexij.
†
† Io. Baptiſta Card. Caſtruccius, tt. S. Mariæ in Araceli.
† Ego Federicus Card. Cornelius tt. S. Stephani in Monte Celio.
† Ego Hippol. Card. Pap. tt. S. Blaſij de Annulo.
†
† Ego Decius Card. Azzolinus, tt. S. Matthęi in Merul.
† Hyppolytus Card. Aldobrand. tt. S. Pancratij, Maior Pœnitentiarius.
†
† Ego Hieronymus Card. de Ruuere, tt. ad S. Petri ad Vincula.
†
† Ego Fr. Hieronymus Card. Aſculanus, tt. S. Thomæ in Parione.
† Ego A. M. Card. Peruſ. tt. S. Agnetis in Agone.
† Ego Fr. Conſtantius Card. Sarnanus, tt. S. Petri in Monte Aureo.
† Ego Ferdinandus Medices Card. in S. Mariæ in Via Lata.
† Ego Phil. Card. Vaſtauill. S. Euſtachij.
†
†
†
† Ego A. Card. Montealtus, S. Mariæ in Coſmedin.
† Ego Hieronymus S. Agathæ Diaconus Card. Matthæius.
† Ego Benedictus S. Georgij Card. Iuſtinianus.
† Ego Aſcanius SS. Viti, Modeſti, & Creſcentiæ, S.R.E. Diaconus Card. Columna.

Tho. Thoma Gualterutius.

A. de Alexijs.

Regiſtrata apud eumdem Thomam Secretarium.

Anno à Natiuitate Domini 1586. Indictione decima quinta, die verò prima menſis Iulij, Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini Noſtri, Domini SIXTI Diuina Prouidentia Papæ Quinti, Anno eius Tertio, Retroſcriptæ litteræ Apoſtolicæ affixæ, lectæ, & publicatæ fuerunt, & per aliquod temporis ſpatium dimiſſæ in valuis, ſiue portis Baſilicarum Sancti Ioannis Lateranenſis, & Sancti Petri Principis Apoſtolorum de Vrbe, necnon Cancellariæ Apoſtolicæ, & acie Campi Floræ, per nos Claudium Mongeat, & Catherinum Menandi Apoſt. Curſor.

Alexander Parabiacus Mag. Curſ.

S.^MI D. N.

D. SIXTI

PAPAE V.

Confirmatio, & applicatio Introituum,

AC

Conceſsio facultatum, & extenſio, & ampliatio exemptionum Hoſpitali Pauperum Mendicantium Vrbis & illius Adminiſtratoribus, & Doctori in Iudicem ab eis deputañ conceſſorum.

SIXTVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI AD PERPETVAM REI MEMORIAM.

POSTVLAT ratio Paſtoralis officij nobis licet imparibus meritis Diuina prouidentia commiſſi, vt Hoſpitalibus, & pijs locis quæ ad Chriſti pauperũ neceſſitates ſubleuandas noſtra primum cura, & paſtorali vigilantia, erecta & inſtituta fuerunt, quò maiora in dies ad Dei gloriam & animarum ſalutem in ſpiritualibus, & temporalibus ſuſcipiant incrementa, vberiora etiam ſubſidia, & ampliora priuilegia concedamus. Cum itaque nuper ingenti noſtra pia tamen impenſa in hac Alma Vrbe, ne vlteriùs mendici per vias, & plateas eiuſdem Vrbis diſperſi, ac vagantes victum quæritando defatigarentur, ſimulque vt eorumdem mendicorum

Prooemium litterarum.

Cauſæ quibus motus eſt Pont. ad erigendũ & inſtituendum Hoſpitale pauperũ Mendicantium cum certa aſsignatione redditu͂ quinque millium ſcu-

animæ

per gabella lignorum combuſtibilium, & quatuor millium ſcu torū ſuper attractione nauicularum per flumen Tyberim

animæ, & corporis ſaluti opportunè conſuleretur, domum Hoſpitalem ad eos excipiendos, alendos, veſtiendos, de Venerabiliū Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium conſilio, auctoritate Apoſtolica erexerimus, & inſtituerimus, eidemque Hoſpitali dotis nomine, & ad ſuſtentandos pauperes ab initio in ipſa primæua erectione nouem millium ſcutorum monetę Romanæ redditum annuum, quinque millium videlicet, ſuper noua exactione, ſeù gabella lignorum conbuſtibilium, & reliquorum quatuor millium ex penſionibus alterius itidem nouæ gabellæ ſuper attractione Nauium, ſeù nauicularum, quæ per Tyberim fluuium deducuntur, ſub certis modis, & forma tunc expreſſis aſſignauerimus, ac perpetuò dicauerimus, quibuſdā etiam priuilegijs, & exemptionibus eidem Hoſpitali attributis, prout in noſtris litteris deſuper confectis plenius continetur. Et hoc tam pium, & ſalutare opus aliàs à felicis record. nonnullis Prædeceſſoribus noſtris inchoatum, præcipuè verò à Pio IV. & Gregorio XIII. ſemper tamen ex eo, quod certos redditus pro alimentis inopum non aſſignarunt, irrito conatu dimiſſum, noſtra demùm auctoritate iuuante Domino, non modo iam ſuum effectum magno cum fructu, & eorumdem pauperum non mediocri ſolatio ſortitum fuerit, ſed in dies ſuccreſcat magis multitudo pauperum, qui de benignitate Apoſtolica confidentes illuc tanquam ad tutiſſimum refugium ſe recipiant. Nos quia prædicti redditus eorumdem pauperum neceſſitatibus nequaquam ſufficere videbantur, quò vberiùs illis ſubueniretur, & in Hoſpitalis prædicti Cappella ad Dei gloriam, & animarum ſalutem diuinus cultus augeretur, vnam S. Blaſij de Lugna in Ciuitate Firmana, ac aliam B. Mariæ nouæ, & S. Crucis inuicem, vel alias perpetuò forſan annexas in Montis Vlmi Firmanæ Diœc. territorio rurales ſine cura Eccleſias, ſeù Cappellas per obitum bo: me: Decij tit. S. Matthæi in Merulana Presbyt. Card. Azzolini nuncupati, ſeù aliàs vacantes, quarum centum & quinquaginta, & deinde perpetuam etiam ſine cura Cappellaniam ſub inuocatione, ſeù ad Altare S. Mariæ in eiuſdē S. Mariæ de Colepia nuncupatæ Vicentiñ Ciuitatis, vel Diœc. ac duo perpetua ſimplicia beneficia Eccleſiaſtica Clericatus nuncupata in S. Ioannis Baptiſtæ de Cornedo dictæ Vicentiñ Diœceſis Parochialibus, vel alijs Eccleſijs per obitum quondam Nicolai Randoni Sedis Apoſtolicæ Notarij vacantia, quorum centum: ac deinceps vnam Abbatiam forſan nuncupatam SS. Decentij & Germani, & aliam S. Petri in Mazzola, etiam nuncupatam, ac reliquam S. Georgij Piſaureñ Ciuitatis, vel Diœc. ſine cura Eccleſias, ſeù Cappellas per obitum q. Petri Antonij Mazzæ vacantes, quarum ducentorum, ac nouiſſimè vnam S. Angeli de Monte, & aliam S. Sebaſtiani de Populo per q. Bernardini Calui, ac reliquam S. Rocchi ſine cura Eccleſias, ſeù Cappellas, necnon alte-

Vnio beneficiorum Eccleſiaſticorum Capellæ Hoſpitalis pro ſubſtentatione quatuor Capellanorum.

alteram ex duabus portionibus Eccleſiæ per duos Rectores portionarios nuncupatos regi ſolitæ Beatę Mariæ Virginis de Burgo nuncupatæ, ac vnam ſub S. Andreæ, aliamque ſub S. Ioannis, ac aliam ſub S. Antonij, ac reliquam perpetuas ſine cura Cappellanias ſub Annunciationis eiuſdem Beatæ Mariæ inuocantibus, vel ad Altaria in Eccleſia S. Angeli de Vitturito Oppidorum, ſeù locorum Valucñ Diœc. per q. Siluestri Angelici obitus vacantes, quarum quinquaginta ducat. auri de Camera fructus, redditus, & prouētus ſecundũ communem extimationem valorem annuum non excedunt, eidem Hoſpitali, & illius Cappellæ pro pauperum ſubuentione, & Cappellanorum illius congrua ſuſtentatione perpetuò vniuimus, & incorporauimus, prout in diuerſis noſtris deſuper confectis litteris latius continetur, Ac præterea ex eiſdem cauſis redditum annuum quingentorum ſcutorum auri ad quindecim annos ſoluendorum per Maginum Gabrielem Venetum Hebræum ratione priuilegij, & indulti ſuper oleo, & chriſtallo ex quibuſdam rebus inutilibus per eum nouiter inuentis priuatiuè ad omnes aliàs colligendo, & vendendo ipſi Magino Hebræo per nos conceſſi Hoſpitali Mendicorum huiuſmodi ad dictos quindecim annos applicauimus, & appropriauimus. Quare vt nunc quoque, & Sedis Apoſtolicæ, quæ omnes afflictos materno ſinu ſemper complectitur pietas, & benignitas magis, ac magis eluceſcat, & ex hoc pio Inſtituto ijdem pauperes proſperiore ſucceſſu quotidie maiora ſentiant adiumenta, & quod ſalubriter & feliciter ordinatum eſt, id perpetuis futuris temporibus, ſine vlla perturbatione, impedimento, aut obſtaculo conſeruari queat, Motu proprio, & ex certa noſtra ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine eidem Hoſpitali pauperum Mendicorum de Vrbe vltra huiuſmodi prouentus per dictas, aut quaſcumque aliàs noſtras litteras, quarum tenores, & quorumcumque introitum eiuſdem Hoſpitalis veros annuos valores præſentibus haberi volumus pro plenè, & ſufficienter expreſſis illi quomodolibet aſſignatos pro eiuſdem dotis augmento, & eorumdem pauperum commodiori ſuſtentatione alios etiam redditus annuos nunquam ante hunc diem Camerę Apoſtolicæ incorporatos, neque ab eadem Camera percipi conſuetos, ſed noſtra cura, & ſolertia nunc primum ad hos pios vſus, ſine ſubditorum noſtrorum grauamine, aut alicuius prẹiudicio inuentos, & acquiſitos vnum, videlicet quatuor millium ſcutorum monetæ, de & ſuper gabellæ, ſeù datij ſuper chartis luſorijs venalibus nuper à nobis impoſiti annuis reſponſionibus ad ſeptem millia ſcuta ſimilia nunc annuatim aſcendentibus, necnon alterum mille ex locatione alterius itidem gabellæ, ſeu datij carnicciorum, cinciariorum, & gallaminis ditionis noſtrę temporalis Eccleſiaſticæ, ac demùm reliquum centum, & ſexaginta octo ducatorum, ex locatione

Applicatio annui redditus ſcutorum quingentorũ auri per Maginum heb. per quindennium annis ſingulis cauſa Indulti conficien. oleum, & chryſtallum debitorum.

Applicatio aliorũ redditum annuorum a Cam. Apoſt. nunquã percipi ſolitorũ quatuor millium ſcutorũ monetæ ex gabella, ſeu datio ſuper chartis luſorijs venalibus ad ſcuta ſeptem millia nunc aſcenden.

Applicatio gabellæ, ſeu datij carnicciorũ, cinciorum, & gallaminis ſtatus Eccleſiaſt. Annui redditus cen-

tum ſexaginta octo ducat. ex locatione plateę Iudæorum Vrbis prouenientis.
Donatio Molendini à Sanctiſſ. empti exiſtentis propè Pontem Sixtum Vrbis.
Prouentus applicati ſi pro tempore augêtur Adminiſtratorib. Hoſpitalis, vel ab eis cauſam habentibus integri ſolui debent.

plateę Hebræorum de Vrbe prouenientes tenore præſentium perpetuò concedimus, aſſignamus, applicamus, & incorporamus, atque etiam molendinum in ipſa Vrbe ad ipſum Pontem Sixtum, & prope prędictum Hoſpitale ſitum nuper à nobis pecunia noſtra hac de cauſa emptum eidem Hoſpitali perpetuò donamus, concedimus, & elargimur. Quos quidem redditus annuos ex ſupradictis gabella carnicciorum, & Platea Hebręorum, ac molendino percipiendos, etiam ſi in futurum ad quamcumq; ſummam pro tempore augeri contigerit integros, & vniuerſos per eos qui nunc ſunt quinque pro tempore erunt conductores, arrendatarios, vel vt dicunt appaltatores, ac per quoſcumque alios ab ipſius Hoſpitalis Adminiſtratoribus ad eorum exactionem pro tempore deputatos, ſeù ab eis cauſam habentes, eiſdem Adminiſtratoribus, ſeù eorum legitimis procuratoribus omni mora, & dilatione ceſſante cuiuſuis Magiſtratus ſuperioris, aut ipſius Camerę licentia, iurium ceſſione poſſeſſionis, ſeù quaſi traditione, declaratione, aut conſenſu minimè requiſitis, nulloque alio à nobis, vel ſucceſſoribus noſtris expectato mandato, etiam ſi in locationibus iam factis, quarum tenores haberi volumus pro expreſſis, aliter forſan caueatur realiter, & cum effectu perſolui, & per eoſdem Adminiſtratores, ſeù eorum Procuratores propria auctoritate, etiam ſine alicuius licentia, vt præfertur percipi, & in Hoſpitalis vſus conuerti omnino debere, etiam perpetuò ſtatuimus, & ordinamus. Necnon quaſcumque conceſſiones dictæ Plateę, per nos, aut prædeceſſores noſtros cuiuis perſonæ etiam intuitu meritorum, ſeù obſequiorum nobis, vel ipſis aut Sedis Apoſtolicæ impenſorum, vel aliàs, quàm ex titulo oneroſo factas reuocamus, caſſamus, & annullamus, ac tam eandem Plateam, quàm gabellas, & molendinum prædicta ad ipſum Hoſpitale pleno iure in re, & ad rem quæſito legitimè, & perpetuò ſpectare, & pertinere decernimus, & declaramus. Ita quòd in poſterum nullus quouis quæſito colore in præiudicium dictarum aſſignationum, & donationis, & contra mentem Adminiſtratorem dicti Hoſpitalis aliquod onus ſiue grauamen in eiſdem gabellis, ſeù platea, aut molendino imponere, vel impoſitum exigere valeat, pręſertim ſi ex dictis impoſitionibus aliquod detrimentum dictis donationibus, aſſignationibus, & applicationibus in fauorem ipſius Hoſpitalis factis euenire poſſit. Quoniam verò ea eſt proditorum quorumdam hominum impudentia, vt quamuis validi & robuſti ſint, tamen interdum ficta, aut ſimulata infirmitate, aut alio prætextu per ſignitiam & ſoccordiam malint incertis ſedibus huc illuc vagando ex mendicitate, quàm ex honeſtis laboribus, & induſtria victum ſibi comparare, eiſdem Hoſpitalis præfati Adminiſtratoribus contra eos omnes qui mendicare per Vrbem præſument Edicta & Banna proponendi, & publicandi,

Reuocatio conceſſionũ plateæ Iudęorum.
Molendinum platea, & prouêtus applicati ſpectant ad dictum Hoſpitale pleno iure in & ad rem quęſito.
Nullus contra mentẽ Adminiſtratorum poteſt imponere onus ſuper reb. Hoſpitali applicatis.
Adminiſtratores poſſunt publicare bannimenta contra mendicantes per Vrbem, & Inobedientes poenis pecuniarijs, & corporis afflictiuis, & triremium, & alijs eorũ arbitrio, non tamen vltimi ſupplicij punire.

di, & inobedientes pœnis tàm pecuniarijs, quam etiam corporis afflictiuis, & Triremium, vel alijs eorum arbitrio; non tamen vltimi ſupplicij puniendi plenam, & liberam tribuimus poteſtatem. Tres autem refectiones peregrinis per alias noſtras litteras aſſignatas ijs dumtaxat dari volumus, quos Congregatio Adminiſtratorum ipſius Hoſpitalis verè pauperes iudicauerit. Cæterùm cum idem Hoſpitale, eiuſque Adminiſtratores ob varias quæſtiones, lites, & controuerſias, quæ circa illius iura excitari in dies contingit, etiam coram diuerſis Iudicibus, & Tribunalibus magno cum diſpendio vexentur: Nos in hoc quoque eiuſdem Hoſpitalis indemnitati conſulere volentes, Motu & ſcientia ſimilibus, quòd de cætero perpetuis futuris temporibus moderni, & pro tempore exiſtentes dicti Hoſpitalis Adminiſtratores vnum vtriuſque Iuris Doctorem Clericum, etſi ita videbitur in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutum in Iudicem cauſarum Hoſpitalis prædicti eligere, ſeù deputare poſſint, & valeant Apoſtolica auctoritate tenore præſentium perpetuò ſtatuimus, & ordinamus. Ac eidem Doctori ſic pro tempore electo, & deputato, ex nunc prout ex tunc, & è contra poſt electionem, & deputationem huiuſmodi omnes & ſingulas cauſas, lites, quæſtiones, & controuerſias inter dictum Hoſpitale, ſiue illius Adminiſtratores, Officiales, & Miniſtros nunc & pro tempore exiſtentes, ac quaſcumque aliàs tàm Laicas, quàm Eccleſiaſticas perſonas, cuiuſcumq; gradus, ſtatus, ordinis, dignitatis, conditionis, vel præeminentiæ exiſtentes, etiam Cardinalatus honore præfulgentes vniuerſitates, Societates, Congregationes, Collegia, ac tàm virorum, quàm mulierum Monaſteria, Hoſpitalia, aut alia loca pia, etiam coram nunc, & prò tempore exiſtentibus S. R. E. Camerario, Clericis, & Præſidentibus Cameræ Apoſtolicæ, & eiuſdem Cameræ cauſarum Auditore generali: necnon Vicario, Gubernatore, & Senatore dictæ Vrbis, illorumq; Locatenentibus, Collateralibus, Iudicibus, ac appellationum Curiæ cauſarum Capitolij eiuſdem Vrbis Capitaneo, necnon cauſarum Palatij Apoſtolici Auditoribus, ac eiuſdem S.R.E. Cardinalibus, & alijs quibuſcumq; Iudicibus ordinarijs à nobis, & ſucceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus ſpecialiter quomodocumque Commiſſarijs deputatis, & delegatis, ac deputandis & delegandis, nunc & pro tempore motas & pendentes, ac quomodolibet mouendas & pendendas de, & ſuper quibuſcumque locationibus, venditionibus, donationibus, legatis, fideicommiſſis, teſtamentis, hæreditatibus, & illarum diſcuſſionibus, ac quibuſcumque alijs diſpoſitionibus ad fauorem eiuſdem Hoſpitalis, & quorumcumque iurium, & actionum ceſſionibus, alijſque quibuſcumque inter viuos, & cauſa mortis, & quaſi contractibus, etiam vigore obligationis in forma Cameræ executionibus, reuocationibus, bonis, rebus, iuribus, & actio-

Tres refectiones dantur ſolum ijs quos congregatio Adminiſtratorum verè mendicos iudicauerit.

Adminiſt. habent facultatem eligẽdi vnũ I V. Doctorem Clericum, ſeu in dignitate Eccleſiaſt. conſtitutũ in Iudicem cauſarum Hoſpitalis.

Doctor Iudex habet facultatẽ cognoſcendi omnes lites, cauſas quæſtiones, & differentias intraſcriptas.

C nibus

nibus Hoſpitalis, eiuſque Adminiſtratorum, Officialium, Miniſtrorum præfatorum, eorumque litis conſortium, tàm coniunctim, quàm diuiſim, ac tàm actiuè, quàm paſſiuè, ac tàm ſecundariò, quàm principaliter intereſſe concernentes, & ad ipſum Hoſpitale, etiam per viam neceſſariæ defenſionis, & alias quomodolibet ſpectantes, & pertinentes in quacumque inſtantia; quorum omnium ſtatus, & merita, ac Iudicum, & collitigantium nomina, cognomina & qualitates, cæteraque etiam de neceſſitate exprimenda præſentibus pro expreſſis habemus in ſtatu, & terminis

S. D. N. Papa auocat ad ſe cauſas, lites, & cōtrouerſias pendentes, ac motas, & mouendas, & illas committit Doctori deputando ſimpliciter, & de plano ſine ſtrepitu, & figura iudicij, & tela iudiciaria, aliaſq; cōfectione extractus, ſeu regeſtri, audiendi cognoſcendi, & auocandi.

in quibus ad preſens reperiuntur, & quandocumque reperientur, harum ſerie ad nos, & Sedem Apoſtolicam aduocantes, illaſque omnes & ſingulas alias ſimiles, vel diſſimiles cauſas, quomodolibet nunc & pro tempore motas, & pendentes, ac quas dictum Hoſpitale, illiuſque Adminiſtratores, Officiales, & Miniſtri habere & mouere volent contra eaſdem perſonas, Vniuerſitates, Societates, Congregationes, Collegia, Monaſteria, Hoſpitalia, aut alia æquè, aut magis priuilegiata pia loca, etiam quomodolibet, & qualitercumque priuilegiata & exempta pro ipſius Hoſpitalis rebus, bonis, hæreditatibus, legatis, iuribus, & actionibus huiuſmodi, tàm agendo pro ipſo Hoſpitali, & quacumque perſona ab eo cauſam habente, quàm etiam ſi contra ipſum Hoſpitale ad inſtantiam quarumcumque perſonarum, qualitercumque qualificatarum, & priuilegiatarum quomodolibet agatur eidem Do-

Adminiſtratores poſſunt in abſentia Doctoris deputati, ſeu alias quomodolibet alium eligere.

ctori, vt præfertur electo, & deputato vnà cum omnibus & ſingulis earum incidentibus, dependentibus, emergentibus, annexis, & connexis ſummarie, ſimpliciter, & de plano, & ſola facti veritate, & inſpecta, ac ſine ſtrepitu, & figura iudicij, & abſque tela iudiciaria, ac aliquorum terminorum etiam ſubſtantialium obſeruatione, aut alicuius regeſtri, vel extractus confectione per ſeipſum, vel in eius à dicta Vrbe abſentia, aut alias ex quauis cauſa per alium ab eiſdem Adminiſtratoribus durante abſentia, ſeu alias quomodolibet eligendum, vſque ad finalem ſententiarum executionem incluſiuè audiendas, cognoſcendas, fineque debito terminandas, aut etiam alibi pro tempore introductas, ſeu commiſſas reaſſumendas auctoritate, & tenore prædictis, etiam perpetuò committimus, & mandamus, ipſumque Doctorem, vt præfertur electum, & deputatum in dictis cauſis, tàm pro ipſo Hoſpitali, quàm contra illum motis, & pendentibus, & in futurum mouendis in Iudicem ordinarium, & Apoſtolica auctoritate deputatum cum facultate eaſdem cauſas vſque ad finem; abſque tamen

Doctori eſt interdicta receptio propinæ, & habet poteſtatem citandi, & inhibendi in curia, & extra eā per edictum conſtito de non tuto acceſſu.

alicuius propinæ receptione cognoſcendi, decidendi, atque terminandi, ac etiam cum poteſtate citandi, & inhibendi, quos, quibus, & quoties opus fuerit, etiam per ſe, vel alium, ſeu alios quoſcumque tàm in Romana Curia, quàm extra eam, etiam per edictum publicum conſtito ſibi etiam ſummariè de non tuto acceſſu, eiſdeur-

demque, & prædictis, ac quibuſcumque alijs eiuſdem Vrbis Curiarum, ſeù Tribunalium Iudicibus, & perſonis tàm Eccleſiaſticis, quàm etiam pecuniarijs pœnis prout ſibi videbitur inhibendi, & in euentum non paritionis contra inobedientes, contumaces, & rebelles ad declarationem incurſus, cenſurarum, & pœnarum huiuſmodi, illarumque aggrauationes, & alias prout ſibi melius expedire videbitur, ſeù placuerit ſeruata forma Concilij Tridentini procedendi, ſententiaſque, ſeù mandata per eum pro tempore latas, ſeù relaxata debitæ executioni demandandi, ſiue demandari faciendi. Contradictores quoſlibet, & rebelles, ac præmiſſis quouis prætextu non parentes per cenſuras Eccleſiaſticas, ac etiam pecuniarias pœnas, aliaque opportuna iuris, & facti remedia appellatione poſtpoſita compeſcendo, auxiliumq; brachij ſecularis ad hoc ſi opus fuerit, inuocandi, aliaque omnia, & ſingula in præmiſſis, & circa ea quomodolibet neceſſaria, & opportuna faciendi, dicendi, gerendi, exequendi, ac cum alijs facultatibus ad id quomodolibet neceſſarijs auctoritate, & tenore prædictis ſimiliter perpetuo facimus, conſtituimus, & deputamus ſibique plenam liberã facultatem, atque auctoritatem etiam concedimus, & impartimur. Decernentes quod à pro tempore exiſtentis Doctoris, vt præfertur electi, & deputati ſententijs, mandatis, ordinationibus, & decretis nullatenus ſuſpenſiuè appellari, reclamari, de nullitate dici, ſiue quomodolibet aduersùs illa ad effectũ impediendi, ſeù ſuſpendendi executionem aliquod remedium attentari poſſit deuolutiuè, aut ſemel tantùm pro qualibet parte liceat appellare, & alia remedia intentare coram pro tempore exiſtenti Vrbis Gubernatore, ſeù alio Iudice ab ipſo Gubernatore nominando: ei verò parti, quæ ſemel appellauit, ſecundo, vel vlteriùs ſublata ſit omnis, & quæcumque appellatio, ſed duæ ſententiæ conformes plenariam executionem obtineant, ac firmæ, & illibatæ permaneant, ac ſi eſſent tres conformes, ac nullitas aliqua exceptis tribus ſubſtantialibus opponi nullo modo poſſit, & licet ad inſtantiam quorumcumque hęredum, ſeù quorumlibet aliorum committatur in futurum, vel etiam modo pendeat commiſſa cauſa diſcuſſionis alicuius hæreditatis, & dicto Hoſpitali, ſeù illius Adminiſtratoribus, vel Officialibus, & Miniſtris, etiam virtute commiſſionis fuerit inhibitum, tamen ne exactio creditorum in præiudicium Hoſpitalis huiuſmodi protrahatur, data idonea cautione per dictos Adminiſtratores, Officiales, ſeù Miniſtros de reſtituendo ſummam debitam in euentum ſuccumbentiæ prioribus, & potioribus creditoribus pro tẽpore exiſtens Doctor prædictus eoſdem hæredes ſiue alios quoſcumq; debitores, ſeù ipſorum quemlibet, & ex quocumq; titulo cauſam habentes ad ſatisfaciendum integraliter dicto Hoſpitali de eius credito, iuris, & facti remedijs cogat, & compellat, ac in omnibus, & ſingulis cauſis

A ſententia Doctoris deputati ad effectum ſuſpenſiuum non datur appellatio, & ab ea ſemel tãtum licet appellare ad effectũ deuolutiuum.

Gubernator Almæ Vrbis, ſeu ab eo deputandus eſt Iudex appellationum à ſententijs Doctoris impoſitarum.

Duæ ſententiæ conformes faciunt rem iudicatam.

Non poteſt opponi nullitas niſi ex tribus ſubſtantialibus.

In cauſis diſcuſſionũ data cautione de reſtituendo ſummam debitam in euentum ſuccumbentiæ prioribus, & potioribus creditoribus, Doctor deputatus debitores ad ſatisfaciendum Hoſpitali cogat.

Facultas procedendi ſingulis diebus, & horis, præterquam in honorẽ Dei feriatis.

Notarius actuarius ad nutum Adminiſtratorum, & ab eis deputandus eſt qui tenetur ſatis dare de reſtituendis ſcripturis abſque pret ; receptione.

Scripturæ conſignantur Notario ſucceſſori per inuentarium.

Citationes poſſint fieri etiam per Mandatarios Curiæ Capitolij, & Hoſpitalis, ac alios quoſcumque.

Mandata, & alias Doctoris ordinationes poſſunt exequi per quoſcumque Vrbis executores.

Hos Adminiſt. Officiales, Miniſtri, affictuarij, & cauſam ab eis habentes non poſſunt conueniri, niſi coram Doctore deputato, nec ad alios conueniendum conſtringi.

prædictis ad dictum Hoſpitale, vt præfertur, quomodolibet ſpectantibus ſingulis diebus, & horis feriatis, & non feriatis, præterquam in honorem Dei procedat, & Notarium actuarium per eoſdem Adminiſtratores eligendum, ac ab eis, & eorum arbitrio, ac ad eorum nutum ponendum, & amouendum, quem eis placuerit habeat, qui teneatur dare idoneam cautionem eiſdem Adminiſtratoribus in eius deputatione de reſtituendo abſque aliqua pecuniarum ſolutione & fraude, & omni mora, & dilatione, atque exceptione, ſeù excuſatione poſtpoſitis, quoties ab eiſdem Adminiſtratoribus ab huiuſmodi Notariatus officio amotus fuerit, omnes & ſingulas ſcripturas ad dictum Hoſpitale, vt præfertur, quomodolibet ſpectantes per eoſdem Adminiſtratores facto de illis inuentario, Notario ſucceſſori ab eiſdem Adminiſtratoribus deputato conſignando, quodq; citationes in cauſis prædictis etiam per Curię Capitolij, ſeù alios quoſcumq; etiam d. Hoſpitalis Mandatarios fieri poſſint. Ac quòd quicumq; executores Curiarum, ſeù Tribunalium dictæ Vrbis poſſint, & debeant exequi, & effectualiter executioni demandare omnes, & ſingulas ſententias, decreta, & mandata pro tempore exiſtentis DD. huiuſmodi, ſiue in eius abſentia, aut alias ipſo impedito ab eiſdem Adminiſtratoribus eligendi, quæ non obſtante regula Cancellariæ, ſub eius paruo ſigillo expediri poſſint. Ac inſuper Hoſpitale prædictum, eiuſque Adminiſtratores, Officiales, & Miniſtros, Affictuarios, & alios ab eis cauſam habentes ex nunc deinceps occaſione præmiſſorum principaliter, ſeù ſecundariò alibi, quam coram pro tempore exiſtente Doctore, vt præfertur electo, & deputato conueniri, aut ad alios conueniendum conſtringi non poſſe, & proceſſus, ſententias, mandata, & decreta per alium, ſeù alios, tàm ordinarios, quàm etiam ſpecialiter deputatos, & delegatos Iudices quauis auctoritate fungentes, in cauſis prædictis quomodolibet pro tempore formatos in quacumque inſtantia latas, & facta cum inde ſecutis quibuſcumq; nulla, irrita, & inania, nulliuſque roboris & momenti fore inhibentes expreſsè moderno, & pro tempore exiſtenti Signaturæ Iuſtitiæ Præfecto, aut aliàs pro tempore Iuſtitiæ Signaturam habenti, necnon Regenti Cancellariæ, qui pro tempore erit, omnibuſque & ſingulis Referendarijs, ne de cætero ad inſtantiā, & requiſitionem cuiuſcumque ſupplicationem aliquam recipere referendariare, ſeù proponere Præfecto Signaturæ Iuſtitiæ audeat, vel præſumat, & ſimiliter Signaturam facienti, non ſignet, ſiue auocatoriam, ſiue ſimplicis Iuſtitiæ, ſiue appellatoriam & ſimilem, neque in initio, neque in medio litis, & quod ſignatæ nullius ſint roboris & momenti, nullamque tribuant iuriſdictionem, neque ipſe Iudex cui fuerint commiſſæ audeat illarum virtute citare, inhibere, vel quomodolibet procedere, irritumq; & inane quicquid ſcienter, vel ignorantes

Præfectus Signaturæ Iuſtitiæ.

Regens Cancellariæ, ac Referendarij non poſſint ſignare, proponere, nec referendariare aliquam commiſſionem contra facultatem Doctoris deputati.

rauter ſecùs factum fuerit, ipſo iure decernimus, ſalua ſemper noſtra, ac pro tempore exiſtentis Romani Pontificis manu propria ſignatura, ſine qua omne reſcriptum cenſeatur, & ſit inualidum, & à noſtra voluntate alienum. Et nihilominùs Doctor ſic vt præfertur deputatus à prædicto Hoſpitali, abſque vitio attentatorum procedere poſſit & valeat. Exemptionem verò, & immunitatem aliàs eidem Hoſpitali conceſſam extendentes, & ampliãtes volumus, vt tàm ipſum Hoſpitale, quàm eius perſonæ, necnon agri, poſſeſſiones, prædia vrbana & ruſtica, ac quæcumque res & bona immobilia, mobilia, & ſemouentia vbilibet gentium, & locorum conſtituta, eorumque Affictuarij, & Conductores ratione quorumcumq; fructuum, frugum & mercium, ac rerum ad victum, aut veſtitum, aut aliàs ad vſus humanos pertinentium qui in ipſius Hoſpitalis agris, aut prædijs colliguntur, aut extrahuntur, aut ad vſum Hoſpitalis aliunde importantur, tàm in emendo, quàm in vendendo, aut de loco ad locum extrahendo, aut transferendo etiam quoad tria pro centenario Dohanerijs Ripæ Vrbis noſtræ ſolui ſolitis, & quoad Sal pro vſu Hoſpitalis, quod gratis prout alijs locis pijs dari ſolet, etiam prædicto Hoſpitali dari debeat, & à quibuſcumq; datijs, portorijs, gabellis, Dohanis, oneribus & actionibus, ſubſidijs, tallijs, collectis, angarijs, ordinarijs, & extraordinarijs quomodolibet nuncupatis, ex quacumque etiam vrgentiſſima cauſa nunc & pro tempore impoſitis & imponendis tàm in dicta Vrbe, quàm extra eam in quocumq; loco ditioni noſtræ temporali Eccleſiaſticæ mediatè, & immediatè ſubiecto prorsùs libera, exempta, & immunia ſint, ac cenſeantur, nec ad aliquam ſolutionem quoquomodo cogi, aut compelli poſſint. Diſtrictè autem interdicimus, quibuſcumque perſonis ad quas exactio huiuſmodi onerum, gabellarum, colectarũ, tallearũ ſubſidij Dohanæ quomodolibet ſpectabit, ne quicquam quouis prætextu contra noſtram huiuſmodi conceſſionem petere, aut exigere, ipſumque Hoſpitale, vel eius Miniſtros, aut alios ab eo cauſam habentes moleſtare quoquomodo audeant, vel præſumant. Quinimò dilectis filijs modernis, & pro tempore exiſtentibus Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Camerario, necnon Cameræ Apoſtolicæ Clericis, Præſidentibus per præſentes mandamus, quatenus ipſi vel eorum aliquis quoties pro parte Hoſpitalis prædicti fuerit requiſitus, præſentes litteras, & in eis contenta quæcumque ſolemniter publicantes, eiſque efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes Hoſpitale prædictum, eiuſque Miniſtros, Affictuarios, & alios quoſcumq; pro eo agentes faciant exemptione, immunitate, illiuſque extenſione, & ampliatione prædictis pacificè frui & gaudere. Non permittentes illos quouis modo indebitè moleſtari. Contradictores per opportuna iuris & facti remedia compeſcendo. Inuocato etiam ad hoc ſi opus fuerit auxilio

Omne reſcriptum, excepta Signat. Papæ nullum eſt.

Doctor procedit non obſtante quacumque commiſsione Sig. Iuſtitiæ abſque vitio attentatorum.

Extenſio, & ampliatio exemptionum Hoſpitalis.

Exemptio à tribus pro centenario Dohanerijs Ripæ ſolui ſolitis.

Sal pro vſu Hoſpitalis datur gratis.

Exemptio à quibuſcumque gabellis dohanis, & oneribus ordinarijs, & extraordinarijs per totum ſtatum Eccleſiaſt.

Mandatur Cam. & alijs Cameralib. quatenus Hoſpitale, & alios exemptionibus & priuilegijs ſuis frui & gaudere permittant, & tueantur.

lio

lio brachij ſecularis. Cæterùm omnes mulctas, & pœnas ab ijs

Applicantur Hoſpitali pœnæ & mulctæ fraudum gabellarum applicatarum etiam quod in earum impoſitionibus aliter caueatur.

perſonis quæ circa datia, & gabellas, vt præfertur, dicto Hoſpitali tàm per præſentes, quàm per alias noſtras litteras concessa, aſſignata, & applicata fraudem aliquam committent pro tempore exigendas integrè ipſi Hoſpitali, vt Adminiſtratores prædicti de illis ſuo arbitrio liberè diſponant, perpetuò concedimus, donamus, & applicamus, & quatenus in ipſo contractu appaltus, ſeù conductionis datiorum, & gabellarum huiuſmodi, ſeù in eorum impoſitione aliter de ijs caueatur quaſcumq; de huiuſmodi, mulctis, ſeù pœnis contrarias diſpoſitiones ad cuiuſcumq; etiam Cameræ Apoſtolicæ fauorem factas reuocamus, & annullamus, poſtremò ſtatuimus & ordinamus, quod ij quatuor Clerici ſeculares, qui nunc ſunt pro Capellanis ad Miſſas celebrandas, Sacra-

Præſentes Capellani non poſſunt ab Adminiſtratoribus amoueri.

Quilibet Capellanus debet ſc. 90. per Adminiſtratores ſoluenda.

Erectio quatuor Capellaniarum Capellæ Hoſpitalis.

Erectio duorum Beneficiorum Eccleſiaſticorum, Clericatus nuncupat.

mentaque Eccleſiaſtica adminiſtranda in eodem Hoſpitali deputati, inde quoad vixerint per modernos, aut prò tempore exiſtentes Adminiſtratores amoueri nullo modo poſſint, nec debeant: quinimò eorum cuilibet Nonaginta ſcuta monetę Romanæ ex fructibus, redditibus, & prouentibus dictarũ Eccleſiarum, Capellaniarum, & Beneficiorum vnitorum per modernos, & pro tempore exiſtentes ipſius Hoſpitalis Adminiſtratores annuatim perſoluantur, ac præſentes litteræ validæ, & efficacis collationis, & prouiſionis eorum cuilibet factæ vim, & robur obtineant: Atque ex nunc in Capella eiuſdem Hoſpitalis Quatuor perpetuas ſine cura, perſonalem tamen reſidentiam requirentes Capellanias necnon duo alia etiam ſine cura perſonalem tamen reſidentiam requirentia Beneficia Eccleſiaſtica Clericatus nuncupanda per præſentes perpetuò erigimus, & inſtituimus, eiſque ſic erectis, & inſtitutis pro congrua dote, ac dictorum etiam pro tempore exiſtentium Capellanorum, & Clericorum congrua ſuſtentatione, qui videlicet Capellani in ipſa Capella Miſſas celebrare, ac perſonis Hoſpitalis prædicti iuxta formam priorum noſtrarum litterarum ſuper ipſius Hoſpitalis erectione editarum Sacramenta Eccleſiaſtica miniſtrare. Clerici verò eis in Altaris miniſterio, &

Clerici habent ſcuta viginti pro quolibet.

Sacramentorum adminiſtratione inſeruire debeant ſingulis quidem Capellanijs Nonaginta, ſingulis verò beneficijs prædictis pro quolibet Clerico viginti ſcuta huiuſmodi annuatim eorum cuilibet per ipſos Adminiſtratores, vt pręfertur, ex dictis fructibus beneficiorum huiuſmodi perſoluenda. Si quid verò ex eiſdem fructibus ſupererit, id omne Sacriſtiæ eiuſdem Capellæ perpetuò

Reſiduum fructuum beneficiorum vnitorum applicatur Sacriſtiæ.

applicamus, & appropriamus: In poſterum verò quoties perpetuis futuris temporibus aliquod ex huiuſmodi Capellanis, vel beneficijs Clericatibus nuncupatis ex Capellanorum eaſdem Capellanias ad pręſens obtinentium, vel eorum ſucceſſorum quorumcumque perſonis, quando & vbilibet vacare contigerit, tunc non ad nutum Adminiſtratorum, ſed in titulum beneficij Eccleſiaſtici

perſo-

perſonalem reſidentiam requirentis ad pręſentationem Adminiſtratorum prędictorum, nec aliàs per Sedem Apoſtolicam dumtaxat conferantur. Decernentes pręſentes litteras ſub quibuſuis ſimilium, vel diſſimilium conceſſionum & gratiarum reuocationibus, ſuſpenſionibus, & derogationibus minimè comprehendi: ſed ſemper ab illis exceptas, & quoties emanabunt toties in priſtinum ſtatum reſtitutas, & plenariè reintegratas eſſe & cenſeri. Sicque per quoſcumq; Iudices, & Commiſſarios etiam cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales ſublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate in quauis cauſa, & inſtantia iudicari, & definiri debere, necnon irritum, & inane ſi ſecùs ſuper his à quoquam quauis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, præfatæque Cameræ iuramento, vel quauis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus priuilegijs eidem Cameræ necnon quibuſuis Iudicibus, & Tribunalibus, etiam Auditori cauſarum eiuſdem Cameræ quomodolibet conceſſis. Quibus omnibus & ſingulis, etiam ſi de illis ſpecialis ſpecifica, & expreſſa mentio facienda, ſeu quęuis alia expreſſio ad hoc ſeruanda foret, illorum tenores, ac ſi de verbo ad verbum inſererentur præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hàc vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrarijs quibuſcumque. Volumus autem, quòd pręſentium tranſumptis etiam impreſſis, Notarij publici manu ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides in iudicio, & extra illud adhibeatur, quæ eiſdem præſentibus adhiberetur ſi eſſent exhibitæ, vel oſtenſæ. Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ aſſignationis, incorporationis, elargitionis caſſationis, declarationis, tributionis, aduocationis, commiſſionis facti, conſtitutionis, deputationis, impartitionis, extenſionis, ampliationis, interdicti, erectionis, inſtitutionis, ſtatutorum, ordinationum, mandatorum, conceſſionum, donationum, applicationum, reuocationum, annullationum, appropriationum, voluntatum, decretorum, & derogationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius, ſe nouerit incurſurum. Datum Romæ apud Sanctum Marcum Anno Incarnationis Dominicæ, Milleſimo quingenteſimo octuageſimo octauo, octauo Idus Septembris Pontificatus Noſtri Anno IV.

Capellaniæ ad præſentationem Adminiſtratorum, & non aliàs per Sedem Apoſtolicam cõferantur.

Quæ non obſtent præſentibus litteris exponuntur.

Tranſump præſentium plenam fidem faciunt.

Pro Reuerendiſs. D. Summatore F. Hieroſol.

Io. Ang. Papius.

A de Alexijs.

Die

Die quarta menſis Septembris 1588. Domini Adminiſtratores ſupradicti Hoſpitalis inſimul congregati deputarunt in Iudicem R. P. D. Horatium Burgheſium Clericum Romanum I. V. D. eiuſdem Sanctiſſimi D. N. Papæ vtriuſque Signaturæ Referendarium, ac Fiſci, & Cameræ Apoſtolicæ Aduocatum, de ordine eiuſdem Sanctiſſimi Domini Noſtri Papæ, & iuxta Suæ Sanctitatis mentem.

ROMAE,
Apud Hæredes Antonij Bladi Impreſſores Camerales.
M. D. LXXXVIII.

Digitized by Google

Digitized by Google